

lam, ut luderet coram Saule: ita suaviter, docte et præclare lusit, ut melancholiam regis pelleret, et dæmonem ab eo fugaret. Missus est in militiam, vastum illum Goliathum adortus est et stravit, Philisthæos passim fortiter aggressus, fugavit, mactavit, IV. Reg. XVI. XVII. etc.

Idem videre erat in Josepho; qui in domo paterna inter fratres omnium innocentissimus fratrum scelus aversatus detulit ad patrem, patri per omnia morigerus. Venditus hero Ægyptiaco, omnia prospere, strenue et prudenter agebat, ita ut herus ipsi totius domus administrationem committeret. Compactus injuria dominæ in carcerem, etiam ibidem invenit gratiam

coram carceris præfecto, ita ut acciperet ab eo potestatem in omnes vincos, et quidquid ageretur, sub ejus potestate esset, Gen. XXXIX. Assumptus in aulam Pharaonis talem sese præstitit regis consiliarium, ut toties regni gubernatio ipsi crederetur. Semper idem, semper sui similis: in libertate et domo patris, in servitute et domo heri, in carcere, in aula; adeo virtus semper viret et splendet, quocumque in loco aut statu sit. Nimirum sicut is qui bonum stomachum habet, omnia alimenta concoquit, et in bonum sanguinem convertit; ita justus et virtuosus omnia in suum trahit, qualiacumque et contingant.

IN DIE PARASCEVES

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

CONCIONES.

I. Duodecim fasciculi cruciatuum passionis Dominicæ.

II. Fontes dolorum Christi externorum et internorum.

III. Causæ passionis Dominicæ.

IV. De circumstantiis passionis Dominicæ.

V. Quomodo per Domini passionem reformatus sit hominis intellectus.

VI. Quomodo per eandem passionem reformati sit voluntas.

VII. Septem Christi verba totidem antidota contra septem vitia capitalia.

VIII. *Mysteria passionis singulatim exponuntur.* XLIV. § seu concionibus.

CONCIONES AUCTARII.

I. *Figuræ passionis, Joseph, Jonas, serpens æneus, Samson, botrus, passer.*

II. *Septem Christi verba totidem doctrinæ artium liberalium.*

III. *Christus spinis coronatus, velut sponsus, baptizatus, victor, rex, victima, conviva.*

IV. *Ludus coronationis Christi quid demonstrat.*

V. *Flores decerpenti e passione Domini.*

CONCIO I.

DUODECIM FASCICULI CRUCIATUUM PASSIONIS DOMINICÆ.

I. Valedictum Matri. — II. Venditio: 1. Ipsa in se. 2. Pretium. 3. Persona vendita. 4. Venditor. 5. Emptores. — III. Mæstita in horto. Ejus signum: 1. Confessio tristitiæ. 2. Pavor et avulsio, ac reversio. 3. Lamentabilis oratio. 4. Angeli confortatio. 5. Sudor sanguineus. — IV. Desertio omnimoda: 1. Ab omnibus discipulis. 2. A negante Petro. 3. A suspensio Juda. 4. A Deo. 5. A seipso. — V. Crudelitas Judæorum et gentilium: 1. Ex propria libidine ei multa supplicia irrogarunt, uti est, ligatio. 2. Tractatio ad tribunalia. 3. Commentum accusationum. 4. Velatio faciei, colaphi, palmæ, sputa. — VI. Comparatio Christi cum Barabba, quæ fuit maximi doloris: 1. Ratione personæ Barabbæ. 2. Ratione eligentium. 3. Ratione fraudis. 4. Ratione aliorum captivorum. 5. Ratione contemptus.

THEMA.

⊙ vos omnes, qui transitis, per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren. 1.

Non absque mystica præsignatione factum, ut Moyses tabulas legis in monte Sina acceptas, ad eundem montem alliserit et confregerit, Exodi XXXII. Præsignabat enim hoc, meo judicio, populum Judæorum legem sibi traditam in eo ipso confracturum et laceraturum a quo acceperunt;

qui est Christus Dominus, ex quo legem Dei nobis promulgatam audivimus, ut testatur Isaias, cap. I. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, ex sententia Hieron. ibid.* Sed furiosi Judæi hodie simul rumpunt jugum, totam legem violant et confringunt, et quidem in ipso legislatore Deo. Nam qui præceperat Hebræis: *Deum tuum adorabis et illi soli servies*, is hodie ab iisdem negatur, illuditur, irrisorie adoratur. Qui præcepit: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, hodie vanissime nominatur malefactor, seductor, reus mortis, et blasphemis oneratur. Qui præcepit: *Memento ut diem sabbati*, atque adeo solemnissimum paschæ sanctifices, ille idem primo et solemnissimo paschæ die judicatur et in crucem agitur. Qui præcepit: *Honora patrem tuum et matrem tuam*, hodie ab iis, quos creavit, nutrit et informavit, inhonoratur, spernitur, conspuitur et subsannatur. Qui præcepit: *Non occides*, hodie condemnatur, et morte crudelissima occiditur. Qui præcepit: *Non mæchaberis*, hodie repudiatus et e civitate ejectus est a mæcha sua uxore synagoga clamante: *Non habemus regem nisi Cæsarem*. Qui præcepit: *Non furtum facies*, hodie per iniquissimum scelus vestibus, honore, sanguine et vita spoliatus est. Qui præcepit: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, hodie a falsis accusatur testibus. Denique qui

præcepit: *Non concupisces*, ejus hodie anima queritur et sanguis concupiscitur, dicentibus Judæis: *Sanguis ejus super nos*. Ideo hæc dicit Dominus, Jerem. XVIII. *Interrogate gentes: Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel?* Quæ ut clarius videatis, auditores, clarius jam proponenda sunt. Itaque in duodecim fasciculos cruciatus Christi colligabimus.

I. Fasciculus primus. Primum Christi tormentum existimo fuisse ultimum illud vale, quod Christus Matri dixit ad mortis iter se accingens. Nam etsi de hoc nihil scribunt evangelistæ, non dubitandum tamen quin id factum sit: quomodo enim rem tantam celasset matrem eum Deus ipse asserat celare se non posse Abrahamum, quæ facturus erat? Gen. XVIII. quomodo inscia ea aggressus esset, quæ ob effusionem sanguinis, quam Filio communicaverat, merito protestari potuisset? Jam vero quis explicet quam amara fuerit illa separatio, quam flebilis valedictio? Conjicere id aliquo modo possunt parentes, quibus filii forte in extrema sua infirmitate valedixerunt, quantus ibi dolor, quanti utriusque singultus? Solet tamen ibi major esse dolor parentum, quam filiorum, quia amor descendit, non ascendit, id est, non ita amantur a filiis parentes, ut filii a parentibus. Sed aliter res habuit in Christo, etsi enim mater tenerrime eum dilexerat atque adeo super omnia, eam tamen Filius longe magis, quia prior, et quia non tantum eam omnibus bonis dotaverat, sed pro ea etiam uti pro omnibus hominibus mori venerat. Non possunt ita se mutuo diligere parentes et liberi, quia non agnoscunt eorum pro se exantatos labores: agnovit autem optime Christus. Quanta igitur unio tunc separabatur? Filius nobilissimus et elegantissimus nobilissima et elegantissima matre, unicuique ab unica parente. Flos juventutis e gremio matris ad mortem rapitur. Quomodo fieri hæc separatio poterat? Quod si in horto Christus, cum ad orationem, solum quantum jactus est lapidis, a discipulis secederet, avulsus esse ab eis dicitur, Lucæ XXII. quasi vi abreptus, quomodo non magis a matre, cum una quodammodo caro et una anima esset? Cum per ipsam mortem separandum se ab ea sciret? Speculantur hic doctores aliqui, quasi hæc vel his similia colloqui sint. Christus quidem: Nosti, mater, quo in loco res sint meæ, quod e cælo per te in terras venerim ad redemptionem generis humani, quæ sine morte et sanguinis effusione fieri nequit, perficiendam: quoniam vero hora est iter illud aggredi arduum et difficile, nolui nec potui rem tantam te celare rogans et obnixè uti

ne mei causa nimium angaris aut affligaris; (eum sciamus hanc Patris mei esse voluntatem) sed potius Patri me commendes et benedictionem mihi impertiaris. Ad hæc Mater: Novi equidem, Fili, et heu dolens novi, eam esse tuam ac Patris tui voluntatem [cui refragari nec possum nec volo: cæterum horam accelerare audiens mortis et passionis tuæ, non toties artubus contremiscere possum. Quare obsecror te, ut prius crastina die pro more legis nostræ (quo filii cum parentibus, amici cum amicis solent comedere pascha, et propterea a remotis etiam advenire locis) pascha nobiscum facias. Tum Filius: Ne dubita, mater, quemadmodum tuæ petitioni nunquam non subscripsi, ita et nunc subscribo: cras enim in mensa crucis certissimo comedemus pascha, extra civitatem in amplissimo Calvarie montis cœnaculo. Ibi inservient nobis non sexaginta tantum fortes, sed milleni aliquot omnes tenentes gladios. Ibi dabo tibi poculum ex vino condito felle et aceto; ibi apponentur flores spinarum, odores sputorum fœtidorum; ibi reclinatorium nostrum aureum, mensa erit crucis. Quæ omnia vera esse crastina nos docebit dies. Quid ad hæc putatis sensisse matrem benedictam? Quibus dolorum fluctibus obrutam æstuasse? Non dubito procecidisse eam in faciem suam, et quomodo postea Filius Patrem, semel, iterum, tertio orasse: Fili, Fili, si possibile est transeat a te calix iste. Dixisse id Davidis: *Fili mi, Jesu, Jesu Fili mi, quis mihi hoc tribuat, ut ego moriar pro te?* Quis hic sensus esse Filio debuit? Undique angustie: si enim annueret petitioni matris, matrem non redimeret nec humanum genus; sin minus, gladio doloris ejus animam transverberaret. Puto sane tantam hanc fuisse luctam, ut mortem utriusque afferre potuisset, nisi voluntatem Dei agnovisset.

II. Secundus, venditio; ubi quinque consideranda, quæ supplicium hoc gravissimum fecerunt. Primo, venditio ipsa, quæ feris tantum et inanimatis competit: homini vero qui natura liber et rerum omnium creaturarum imperator a Deo factus est, nequaquam. Quis enim libertatem suam non pluris æstimat, quam omnia sua fortunæ bona? Unde Isai. XIII. dicitur: *Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obryzo*. Et Deut. XXIV. interfici jubetur qui proximum suum vindiderit. Servus etiam ille Matth. XVIII. non nisi propter ingens debitum, decem milium talentorum, vendi jussus est. Hominem ergo vendere, est quodammodo eum bovem facere et bestiam. Sed mirum est, cur emere Christum voluerint Judæi et per traditionem obtinere, cum eum sine emptione habere quotidie et capere possent: numquid

enim Dominus in cavernis latebat instar latronis aut furis? Annon (quemadmodum ad eos in Oliveto dixit) *Quotidie apud eos erat, palam docens in templo*, cur igitur eum non tenuerunt? Cur noctu cum facibus et laternis veluti latronem comprehenderunt? Nimirum decretum erat Judæis omni quo poterant modo, Christum injuriari atque adeo libertate etiam exuere, ut mancipium fieret, utque eo impunius et liberius in eum ferocire possent, utpote quem non vi propria, sed titulo emptionis in suam potestatem et servitatem redegissent, quomodo Turcis licet tractare servos suos coemptos prolibitu per eorum leges. Væ tibi Christe! Quia jam jure agere videbuntur sibi Judæi, si te omni modo immanissime tractent. Nulla tibi spes clementiæ superest aut gratiæ apud istos.

Secundo, pretium, pro quo vendetur, triginta scilicet argentei, seu dimidii sicli (siclus autem continet quatuor denarios seu decem penceos) adeoque floreni decem, pro quantum est hic despectus! Nonne Exodi XXI. pro occiso servo exiguntur triginta sicli, adeoque duplo plus? Annon bovem aut equum, o Juda, carius in foro venderes? Sed si vel illos triginta argenteos stipulatus esset, crederem adhuc quod magistrum suum aliquo duceret loco. Jam vero, ut advertit Sanctus Hieronymus in cap. XXVI. Matth. in eminentium posuit potestate, quantum vellent illi dare quasi paratus esset pro quovis etiam vilissimo pretio, imo nullo eum tradere. Igitur non pluris æstimatur a Juda et Judæis Dominus, quam res vilissima, ut fungi, canes, erinacei, passeruli, etc. qui ob vilitatem suam nullo definiuntur, sed pro quovis vili offeruntur pretio. Unde Zach. XI. vocat Dominus hoc suum pretium triginta argenteorum, *decorum pretium* (ironice) jubetque ideo projici illud ad staturarium. Exod. XXI. pro servo a bove occiso jubentur solvi triginta argentei, et bos lapidibus obrui. En servus a bove jam occisus non minoris æstimatur quam Christus vivens. O Juda impiissime et stultissime, quare tam vilem hanc et primam pactionem triginta scilicet argenteorum, tam facile acceptas? Cur saltem non reclamas: Non possum adeo vili vendere, quia homo hic non unam novit artem, sed innumeras et prætantissimas. Hic enim est medicus tam peritus, qui omnes etiam incurabiles sanat morbos. Hic miles et dux strenuissimus, cui etiam dæmones subiciuntur. Hic navarchus peritissimus, qui mare pedibus calcare et fluctibus imperare novit. Hic mirabilis paterfamilias, qui innumerabiles homines modicissimo pane reficere et saturare potest. Hic mortis domitor, qui jam fetentes et sepultos e tumulis extrahere et vivificare, etc.

II. PARS HIEMALIS.

Cur non potius dicis: *Si dederitis mihi domum plenam auri et argenti, non possum eum vendere?* Sed heu cæca hominum corda pretium Dei non agnoscunt! Utinam non et nos tam vili sæpe æstimaremus Deum; atque etiam non vilioris! Dum enim pro vilissima voluptate vel lucro, justitiam perdimus et gratiam, annon Deum ita vendimus?

Tertio, persona quæ venditur. Est enim Dei Filius. Fierine potest, ut ab homine Deus vaneat? Factum certe ab Juda. O audacissimum caput, quæ tibi potestas in Deum? Si dominus servum, pater filium in extrema necessitate vendat, capi res hæc potest et mirum non videri: sed vendi patrem a filio, a servo dominum, Deum ab homine, quis hoc capiat? Hinc jam mirari desinamus, si legimus in Genesi cap. XXXVII. Joseph, qui figura Christi erat, minori pretio, nimirum viginti tantum argenteis venditum esse a fratribus. Joseph enim homo erat, Christus Deus: Joseph puer, Christus vir: Joseph ut in vita servaretur, Christus ad mortem venditus est. Quod si totum mundum appendissent Judæi ad pretium Christi, nihil fecissent: quasi enim arena maris gravior esset Christus, cujus singula merita infinitum habent valorem ad infinitos redimendos mundos.

Quarto, venditor discipulus ad summum honoris (apostolatus videlicet) apicem a Christo evectus, et innumeris beneficiis affectus: id quod amantissimum Christi pectus maximopere concussit, quando vidit se tot admonitionibus, precibus, minis nihil in eo profecisse, tot suis amicissimis verbis et beneficiis nihil aliud sibi quam hostem parasse, cui secreta sua (ut videbatur) ideo revelabat, ut ab eo prodi posset; a quo denique nihil hostile expectabat. De Julio Cæsare refert Suetonius Tranquillus, quod cum inter conjuratos et insidiatores stricto se gladio in senatu invadentes, Mar. Brutum quoque, quem plurimis beneficiis affecerat et amicissimum sibi putabat, conspexisset, dolore tactus dixerit: *Et tu quoque, Brute fili mi?* Hoc idem insinuassee videtur Judæ Dominus cum ad illum ait: *Amice, ad quid venisti?* q. d. non recordaris veteris nostræ amicitie, quomodo *mecum prius dulces capiebas cibos?* *Qui in domo Dei ambulavimus cum consensu*, ut Psal. XLV. dicitur. O quanto doloris sensu, quanta violentia hanc vocem protulit: *Amice*. Nam *Inimice*, debebat dicere.

Quinto, emptores, quibus venditur, sunt enim infensissimi Christi hostes, Scribæ scilicet et Pharisæi, qui toties ei insidiabantur, toties capere eum conabantur. Mercantur illi Christum non ut servum, sed ut hostem, cui pro libitu suo illu-

dan̄ mercantur, ut Philisthæi Samsonem, qui plurima eis damna intulerat, ut sanguine ejus saturarentur. Cogitate jam quidnam esset: si integer exercitus civitatem nostram obsideret, et aliud nihil peteret, quam ut tu, quem maxime oderant, eis tradaris? Quis tibi tunc foret animus si magistratus te hostibus in prædā daret? Sane tantum hoc est, ut propterea Saul, metuens ne in hostium suorum Philistinorum manus incideret, petierit ab armigero suo interfici: *Percute me, ait, ne forte veniant incircumcisi isti et interficiant me illudentes mihi*, I. Reg. ult. Aspice jam Christum, velut agnum inter lupos. Cogita te etiam inimicis Christi, gentibus, Judæis et hæreticis tradere Christum, cum ita scandalose vivis, ut illi propterea incipiant vituperare Christum et religionem christianam. Et si Judas luit pœnas inferni; vide quid tibi debeat.

III. Tertius, mœstitia et angustia ejus in horto, quæ passionis ejus prodromus, imo passio ipsa tota et in unum quasi cumulum agglomerata fuit, vel inde acerbior, quod in viribus animæ potius quam in membris fuit. Quia vero hæc passio tota intus erat, nec innotescere nobis poterat, idcirco Christus signis aliquot externis acerbiter ejus expressit. Primum erat confessio illa tristitiæ, cum dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, id est, tanta quanta vel in morientibus, vel quæ mortem mihi afferre possit. Sed cum strenui duces et viri perfecti moderari possint suas tristitias et occultare, nec facile fateri: quid est quod vir virorum Christus et dux strenuissimus animum non modo despondet, verum etiam despondere se fatetur? O charissimi, significat hæc confessio extremam Christi angustiam, omni solatio destitutam. Quemadmodum enim dux in urbe obsessus quamdiu auxilium aliquod, arma et commeatum per viam aliquam inferre potest, fortissimum se esse jactat, nedum ut manus hosti det. At ubi videt undique se clausum, omnemque sibi præclusum aditum, ut nec militem nec commeatum, nec pulverem tormentarium habere possit, ibi fateri incipit se animum despondere, nec obsidionem amplius sustinere posse ibi cum hoste pacisci. Ita evenerat quondam regi Gilimero, qui ut est apud Baron. anno 534. et alios, a Belisario in Numidiæ monte per tres menses undique clausus, ut nullus jam evadendi locus esset; misit tandem ad Belisarium, ut sibi tria hæc mitteret; lyram ad animum tristissimum parumper refocillandum; sudarium, ad lacrymas tergendas; panem, quod multo jam tempore nullum vidisset, et fame cruciaretur. Pari, imo acerbiori modo Christus Dominus ab hoc tristitiæ suæ tempore usque ad mortem omni

cruciatuum et miseriarum genere undique obsessus erat, ut jam ejus afflictioni nulla prorsus consolatio permixta esset, quemadmodum testatur Sanctus Thomas, III. p. q. LVI. art. VI. et alii cum ipso. Ita enim in Græco textu habetur, *perilypos*, id est, *circumtristis est anima mea*: quasi obsessa undique tristitia; quocumque enim se vertebat, undique audiebat voces illas; *Tolle, tolle*. Si ad discipulos, vidit eos somno et mœrore plenos; si ad Judæos, vidit eos cum Juda de nece sua tractantes; si ad sinum Abrahæ, vidit ibi ardentissimum mortis suæ desiderium; si ad infernum, vidit dæmones mortis suæ instrumenta cudentes; si ad Deum, vidit eum stricto super se gladio, nec sperandam aliam hostiam præter se. Objicies forsitan: Animam Christi beatam fuisse, ac proinde gaudium beatificum tristitiæ ejus mixtum fuisse. Respond. ex communi pp. sententia, gaudium illud ab eo tempore ita suspensum et prohibitum fuisse, ut in superiore tantum animæ parte (qua ad Deum ut finem attendit) operaretur, ad inferiorem vero (quæ circa media et temporalia versatur) non fluxisset. Tunc enim velut nubes aliqua obducta erat inter utramque partem, ut neutra alteram impediret, neutra alteri quidquam communicaret: ad eum fere modum, quo cælo obducto nubibus, inferius, turbo, imber, fulgura, fulmina, tonitrua fiunt maximo nostro terrore: supra nubem vero cælum serenissimum est, quæ tamen serenitas tunc nihil nobis solatii vel gaudii affert. Unde si quis caput supra nubem illam erigere posset, supra experiretur calorem, infra vero frigus, etc. Alia idipsum similitudine declaramus. Annon aliquando evenit ut æger quis collo intumescat, ita ut nihil prorsus refectionis ad stomachum deferre possit? Talis igitur cibum cum voluptate in os ingerit, masticat et terit, sed quia deglutire nequit ob faucium occlusionem, stomachus interim et reliqua membra vehementissime affliguntur, quia cibum attrahere cupiunt nec possunt: interim lingua et palatus gustu afficiuntur; sed quia illum cibum stomacho communicare nequeunt, inde acerbissimus dolor et mors denique miserrima. Ita res habuit in Christo: unde fit ut gaudium beatitudinis quod in superiore animæ parte continebatur, dolorem potius et anxietatem Christo in inferiori ejus parte excitaret, quod inferior nihil gaudii a superiori parte reciperet. Quod igitur Tantalo evenire finxit in inferno Virgilius, ut fame et siti æstuans, cibum et aquam supra et circa se videat habeatque; apprehendere tamen nequaquam possit, utpote fugitiva: hoc Christo evenisse in passione facile jam conspicimus, nisi quod majus

erat gaudium quo ipse privabatur, quam esset cibi et potus voluptas.

Secundum signum Christi pavor, avulsio a discipulis, et toties iterata ad eos reversio. Quid enim hæc, nisi ingentem tristitiam et dolorem indicant? Quæso Domine mi, nonne tu multis noctibus solus in oratione pernoctasti, in montibus et deserto? Nonne quandoque discipulorum etiam consortium fugisti? Nonne ditissime inter feras sylvæ, atque adeo cum dæmone in deserto sine ullo pavore, sine ullo societatis desiderio fugisti? Quid igitur est, quod nunc paves, quasi spectra videas? Quod vi quadam et abstractione violenta a discipulis avellaris, nec ulterius quam ad jactum lapidis? Quod discipulos tuos rogas ne te solum derelinquant dicens: *Sustinete hic et vigilate mecum*. Quod toties ad eos reverteris, quasi undique consolationem quaerens et nullibi inveniens? Videtur hic evenisse Christo, etsi alia de causa, quod Constanti imperatori, qui post cædem fratris Theodosii diaconi quem occiderat, crebro per quietem fratrem conspicatus habitus diaconi et manu poculum sanguine plenum sibi porrigentem ac dicebatem; *Bibe, frater*. Unde Constans nullibi quietus de cubiculo in cubiculum ambulans loca locis permutavit: fratre semper majoribus clamoribus insequente, teste Baron. anno 639. Non fecit quidem ul- tonitruum parricidium Christus; sed luit tamen parricidæ illius Adami, qui omnes fratres suos uno morsu enecuit, pœnas. Hinc factum ut consimili modo angelus appareret Christo in horto, poculum sanguine plenum ei propinans et jubens exhaurire quas nos commuerimus pœnas. Videtis igitur jam quid sibi velit ille pavor et crebra locorum permutatio? Horrorem calicis indicat, quem angelus sanguine plenum ei propinabat.

Tertium, lamentabilis ejus oratio. Nam imprimis ponere genua volens in faciem corruit, quasi viribus prorsus defectus. Secundo, maximo affectu orat, dicendo: *Abba Pater*: hoc est, Pater, Pater, item: *Pater mi!* Denique ter eandem orationem repetit, ac prolixius orat. Quid hæc omnia indicant, nisi extremam Christi necessitatem et angustiam? Pingite animo leonem forte a cavea elapsum vagari per plateas, eo conspecto fugere filium quempiam ad domum patris, et videre clausas fores: quanto hic impetu pulsabit? Quam frequenter et serio? Quod si advertat etiam patrem aperire nolle, sed velle ut a proximo jam leone occidatur filius, quis sensus foret tunc filio? Quæ angustia et desolatio? Hoc est, quod coegit Christum toties ad Patrem tantoque conatu accurrere. Leo nimirum Judas, eum mox invasurus. Vere enim dicere poterat Chris-

tus id Proverb. *Leo est fortis: in medio platearum occidendus sum*. Unde clamat in persona Christi Ecclesia tempore passionis ad Patrem? *De ore leonis libera me, Domine*.

Quartum, angeli confortatio: quid enim audio, servus Dominum, angelus Deum confortat? Annon Christus fortitudo angelorum? Quomodo heros iste retro puerum fugit et ab eo protegi cupit? Quid hoc significat nisi Christum ad extremas redactum angustias et partem ejus inferiorem fortitudine sua destitutam esse? Etenim graviter afflicti apud omnes, etiam inferiores, quaerere solatium solent. En fortissimus ille dux Sisara fugit, ad tabernaculum mulieris, Jud. IV. utpote conterritus in acie. En Samson ille a puero ducitur et regitur, Jud. XVI. utpote fortitudine sua destitutus; sed audiamus quomodo confortetur. Pingitur angelus Christo apparuisse cum calice passionis et cruce, idque non injuria; certum enim, mortis sententiam ei denuntiasset, ac quemadmodum olim dixit angelus ad Eliam fugientem a minis Jezabel: *Surge, etc. grandis enim tibi restat via*; ita videtur hic Christo dicere: *Grandis tibi via restat, flagella, alapæ, spinæ, crux, mors, etc.* Proh! qualis hæc confortatio? An non potius consternatio? Si dixisset angelus: *Constituit pater supplicia aliqua remittere, et solam tibi crucis mortem inferre, vel simili modo eum solaretur, intelligerem quid esset Confortare*. Nunc vero quoniam a concepto rigore et destinatis suppliciis nihil prorsus remittendum nuntiabatur: quid sentire debuit ante confortationem, si ipsa confortatio nil suavius est, quam ad mortem decretam exhortatio?

Quintum, denique sudor ille sanguineus, quem extremæ angustiae testem esse quis non videt? Quid enim ullo sæculo tam novum tam portentosum accidit? Scribit quidem episcopus Conimbricensis, tract. CCXXV. in Luc. feminam quamdam in Lusitanie regno mariti mortem usque ad sanguineas flevisse lacrymas. Quin et Maldonatus, in c. XXVI. Matth. refert Lutetie Parisiorum quemdam audita in se mortis sententia sanguineum emisisse sudorem, quæ si vera sunt, satis indicant non nisi extremi angoris esse sanguinem sudare. Cæterum quo modo Christus sanguinem sudavit, nullo unquam sæculo auditum? Quid enim putatis? Hominem tam valentem, sibi optime consciam, liberum adhuc, necdum captum, minus condemnatum, ita luctari cum mortis imagine ut toto corpore, atque adeo ex fronte et vultu per vestes decurrentem usque in terram sanguinem effunderet, quis animo comprehendat?

Sed mirari saltem aliqua ex parte desinemus,